Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38166
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

43

propter quem et probatur assumpta; benedic hereditati tuae. Ad futurum
pertinet iudicium quando dicendum est: venite benedicti patris mei percipi-
te regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Iterum petit ut in hoc
mundo devotos populos regat, ne carnalia concupiscant, et ne suas
pravitates eligant. Addidit et extolle eos usque in aeternum, vel intellectu scrip-
turarum et in opere sancto laudabili intentione proficiant, usque in aeternum,
usque ad illum scilicet aeternum cui nullum aliud perpetuitate sua cedit.

PSALMUS DAVID IN CONSUMMATIONE TABERNACULI.

Praecedentia nota sunt. Consummatio tabernaculi significat perfectio-
nem ecclesiae, quae per totum orbem probatur esse constructa. Est enim totus psalmus
spiritus sancti laude plenissimus.

Afferte Domino filii Dei. Invitat enim propheta filios Dei, id est qui per regene-
rationem filii Dei facti sunt, ut ait Iohannes: dedit eis potestatem
filios Dei fieri, et reliqua. Hic autem specialiter Dominum Spiritum sanctum debemus ac-
cipere, qui instituit de tabernaculi perfectione laudare.
Videlicet quid offerrent, ipsis iubentur offerre, id est corda sancta
sua puritate lucentia. Afferte Domino filios arietum. Arietes
apostoli accipiendi sunt, quia tamquam duces gregum in caulas Domini perduxerunt
populum christianum. Filios autem arietum offerendos dicit quos apostoli recta
praedicatione genuerunt. Arietibus bene comparantur apostoli, quoniam
animalia ipsa plurimum fronte valent et obiecta semper impingen-
do deiciunt. Quod praedicando fecisse constat apostolos, qui diversas
superstitiones et idola firmissima caelesti verbi quadam fronte
reppulerunt. Aries enim dictus est quasi a fronte ruens. Afferte
Domino gloriam et honorem; ammonentur christiani ut nullam Spiritus sanctus patiatur
iniuriam, sed ut eum aequalem patri et filio dicant. Afferte Domino gloriam
nomini eius. Afferte igitur nomini Spiritus sancti gloriam, quem vel latius facit
innotescere. Adorate Dominum in atrio sancto eius. Id est colite illum in con-
scientia vestra mundissima. Ipsa est enim aula regis et habitatio
Spiritus sancti, sicut dicit apostolus: nescitis quia templum Dei estis et Spiritus sanctus habitat in vobis.
Vox Domini super aquas, id est Spiritus sapientiae; ipse enim legem condidit qua